QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS VII. IANVARII, MAGISTRO ÆGIDIO LE BLANC DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An venus amantium ictero.




Moris initium idem cum natura, quam, vt ſinum Iunonis Iupiter, fœcundat, fouet ac tuetur: hic ad formam appetendam inſitus eſt materiei, quatuor elementis ad vnionem, ſingulis animantibus ad complexum, quo fœminæ mares tanquam complementum deſiderant. Cur non & ἀντιφίλησις cùm etiam mares fœminas: vnde quemadmodum venuſtioribus puellis pulchritudine, multiplicique gratiarum cumulo præſtantioribus χλώρωσις euenit, ſic viris delicatioribus, ſtudioſis & vitam ſedentariam ducentibus icterus, ſimilē cum ardēti febre (cui tam pota quam iniecta per clyſterem prodeſt aqua frigida) materiam obtinens.



St autem frequentior icterus ſymptoma iecoris affecti conſectarium, in quo bilis ſaturato colore totam corporis molem inficiens, & cutis ſuperficiem contingens ſua praua qualitate ſuffundit, qualem enim color externus prodit, talis ἐν ὅλῳ τῷ σκήνει τοῦ σώματος dominatur, niſi ſit τῶν χυμῶν ἄμπωτις, quia flauus bilem, ὑποφακώδης melancholiam, albus pituitam ſignificat: Ex quibus producitur triplex ſpecies icteri, febris amatoria virginum, aurigo iecoris, & arquatus lienalis, licet aliquando die critico prægreſſis ſignis coctionis ſalutariter contingat, & hoc ſuperueniente magni morbi depellantur.



Ffectus hi conſequuntur inſignes viſcerum obſtructiones, quæ partim ab alimenti qualitate, partim à mala viſcerum conformatione proficiſcuntur: vitium ciborum conſiſtit in dyſpeptis, quæ ſequitur ametria retentorum, in conſtitutione partis mala conformatio, quæ licet præſertim pendeat à ſemine parentis vtriúſque, materni tamen ratione ſanguinis in vtero variè ſolet alterari: vnde pro conſiſtentia ipſius, vt latitudo ſic viarum anguſtia, quæ parens eſt obſtructionis: Cui perficiendæ non parum conducunt animi pathemata, qualia ſunt triſtitia, mœror, odium, amor, qui (quemadmodum cogit amare iecur) ſic ab eodem & eidem icterum inurit, affectum præ fœditate coloris iniucundum.



Vius ſunt ſigna concomitantia cutis ardor, ſiccitas, aſperitas, anidroſis, oris amaritudo, deiectus appetitus, dyſpnœa, turbulenta inſomnia, κόποι, ſenſuum hebetudo, torpor & ſegnities: Ex quibus vt ab affectu quem produnt cum τέκμαρσις deſumatur, ſic inſtituenda ſunt remedia, vt obſtructioni præmiſſis clyſteribus, eccoproticis & phlebotomiâ, tum detergentibus & humorum craſſitiem incidentibus, vt meliſſa, ſabina, cuſcuta, mentha, ſimilibuſque prouideatur, deinde medicamentis partim bili, partim pituitæ vacuandæ commodis, vt infuſo rhei & agarici ſimul miſtis in decocto aperienti conſulatur.



Vibus omnibus ſi viſcidior & nimis impactus humor contumaciter reſiſtat, ſola venus (quâ ſpiritibus in toto corpore commotis, & ex humorum agitatione ſpumam & calorem inducentibus, corpus agilius redditur, liberior fit humorum commeatus, implicita vis ratiocinij colluſtratur, facultates omnes tam animi quam corporis fœliciùs obeuntur) attenuatis, liquefactis, & ad exitum præparatis totius corporis humoribus noxijs mirum in modum præ cæteris auxilijs conferet.

Ergo venus amantium ictero.

Propugnabat NICOLAVS DROVIN Cenomanenſis. Anno 1616.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ægidius le Blanc, Præſes.	*M. Franciſcus Placet.*	*M. Simon Baſin.*
M. Ioannes *Deſgorris.* M.R.	*M. Andreas du Chemin.*	*M.* Nicolaus *Pietre.*
M. Renatus Chartier, M. R.	*M. Georgius Arbault.*	*M.* Iacobus *Couſinot.*

